

LXXXVIII. CORIO INSCRIPTA.

Nescio num aliunde quoque innotuerint corio inscripta, qualia exempla duo sunt Britannica, quae hic propono; de origine certe eorum Romana non videtur dubitandum esse. Vidi praeterea in museo Britannico fragmentum ex corio ad solem certo Romanam pertinens, cui impressae sunt litterae hae

Sed de origine eius Britannica non videtur constare.

1328 In solea Londinii, ut videtur, reperta et servata in museo Britannico.

SE · G · F
SE · G · F
E · G · F

Descripsi.

1329 Luguvalii (*Carlisle*) repertae sunt reliquiae officinae sutrinae, servatae ibi a Roberto Ferguson, of *Merton*, inter quas est particula ex corio longa et lata dig. 6, inscripta

VICTO

Bruce lapid. n. 503.

LXXXIX. SVPELLEX CRETACEA.

Supellectilis cretae cuiusvis generis exempla cum reperiantur frequentissime paene in omnibus imperii Romani quae fuerunt provinciis, tamen an in alia nulla tot eius extent exempla curiose servata in museis publicis privatisque quam in Britannia nescio; praeterea etiam depicta et edita sunt ab antiquariis Britannis eius generis monumenta quam plurima. Itaque si modo licuisset perficere, quod statueramus antea quodque quasi postulat res ipsa, scilicet ut coniungerentur cum fictilibus Britannicis Gallica et Germanica, fundamentum sane solidum iam teneremus syllogae titulorum in fictilibus inscriptorum impressorum pictorum talis, qualem iure dudum efflagitant viri docti hominum nonnullorum conatibus imperfectis iam saepius delusi (videantur quae ea de re adnotata sunt in volumine huius corporis III p. 742). Enim vero illis si adnumerarentur iam publici iuris facta in voluminibus II et III, liceret profecto de regionum occidentalium et septentrionalium in hac specie commercio iudicium ferre atque aliquanto accuratius, quam adhuc factum est, statuere de singulorum generum origine. Sed illud cum fati vetitum esset, conquisendum erat in supellectile Britannica sola componenda. Quod feci excussis museis Britannicis a me ipso quantum potui diligentissime et adhibitis omnibus, quotquot edita et descripta esse cognovi; de quibus huius capitis fontibus iam paulo plenius dicam.

Atque primum fictilia cuiusvis generis plurima praesertim inde ab huius saeculo decennio quarto inter mutationes gravissimas, quas subiit urbs ingens, reperta sunt in ipso Londinio. Quae prodierunt variis temporibus variisque locis, ea diu privata tantum servabantur custodia ab hominibus nonnullis rerum antiquarum amantibus, veluti a Guil. Chaffers, E. B. Price, I. Newman, aliis; inprimis vero diligens eorum atque intellegens extitit collector Carolus Roach Smith. Eius potissimum curae illud debetur, quod sane plurima eius generis monumenta omnino servata sunt locumque invenerunt denique dignum in museo Britannico, ubi descripsi omnia a. 1867, adiutus ab Augusto W. Franks. Praeterea Londiniensia nonnulla servantur in museis urbico (vide Guil. Tite *a descriptive catalogue of the antiquities found in the excavations at the new Royal Exchange, preserved in the museum of the corporation of London*, Lond. 1850 8.; cf. *archaeol. journ.* 8, 1851 p. 115 ss. et *gent. mag.* 19, 1866 p. 675) et geologico (in *Jerminstreet*; ea non vidi); contra societates antiquariorum Londiniensis nihil eius generis tum certe servabat, cum Albertus Way catalogum eius collectionis confecit (a. 1847). Edita sunt Londiniensia aliquot primum, si exceperis singularia hic illic sparsa (veluti proposita ab Ioh. Conyers in cod. mus. Brit. *Sloane* ms. 958 f. 105; cf. C. R. Smith *Roman London* p. 79 et ab Ioh. et Andrea van Rymsdyck in museo Britannico, Lond. 1778, ed. II 1791 fol. tab. 26, in G. Douglas Nenia Britannica aliis), a Guilelmo POWNALL (*Archaeologia* 5, 1779 p. 289 ss.); plura deinde protulerunt Ricardus GOUGH, qui in editione sua Camdeni (vol. 1 in tab. ad p. CCVI) pauca tantum exhibuit, et Carolus COMBE (*Archaeologia* 8, 1787 p. 116 ss. 116 ss.). Secuti sunt post longum temporis spatium A. I. KEMPE *Archaeologia* 24,

1832 p. 190 ss., 26, 1836 p. 368 ss., *gent. mag.* 21, 1844 p. 256 aliisque locis), G. R. CORNER (*Archaeologia* 27, 1838 p. 620; protulit ille in *Southwark* reperta) et quos supra iam nominavi Guil. CHAFFERS (*gent. mag.* 21, 1844 p. 372) et E. B. PRICE (*gent. mag.* 22, 1844 p. 38). Carolus R. SMITH inde ab a. 1838, quantum scio, quae collegerat edidit (in *Archaeologia* 27, 1838 p. 146 ss.); deinde aucta et emendata proposuit ter, in collectaneis antiquis (1, 1848 p. 148 ss. tab. 51. 52), in catalogo collectionis suae Londiniensis (*catalogue of the museum of London antiquities*, Lond. 1854, p. 13—47), in libro de antiquitatibus Londiniensibus (*illustrations of Roman London*, Lond. 1859, p. 78—112); hunc in universum citavi. Ex auctoribus, quos iam enumeravi, fluxerunt denique figulorum laterculi propositi in annali antiquario (*antiquarian and architectural year book for 1844*, Lond. 1845, p. 82 ss.; qui est Pricii), ab Akermano (*archaeological index* p. 90 s.), a Thoma Wright (*the Celt* cet. p. 253, qui de titulorum eius generis interpretatione perversa, qualem proferre solent imperiti, iudicavit severe). Hos non citavi; reliquis usus sum religiose. Etenim cum Smithius, ut syllogen antiquitatum Londiniensium congereret tam quam posset plenissimam, ab antiquioribus proposita omnia repetiverit, quorum permulta descripta sunt imperite, auctores eius cognoscere omnes intererat. Unde in hac quoque sylloge incertae lectionis non pauca exhibenda erant, quae omnia, ne quaerendi laborem auferent, si quando denuo comparerent, nolui relegare in appendicem mutilorum et plane incertorum, qualem unicuique fictilium generi in fine apposui; sed certae ea tantum esse lectionis, quae aut ipse vidi aut testes fide digni, veluti Franks, ut in titulis lapidibus inscriptis, ita in hac quoque huius syllogae parte valet. Exempla musei Britannici servantur ordine in universum alphabetico disposita iam Smithii cura; tamen fieri potest ut in tanta multitudine quaedam omiserim invitus.

E regione Cantiorum fictilia prodierunt non pauca (cf. C. T. Smythe *Archaeologia* 29, 1842 p. 421; C. R. Smith *Archaeologia* 29, 1842 p. 225, collect. ant. 1, 1848 p. 110 tab. 41; *Archaeologia Cantiana* 3, 1860 p. XLVIII); pauciora ex comitatu Sussex (cf. M. A. Lower *Sussex archaeol. collections* 2, 1849 p. 173); quae servantur in museo Regnensi (*Chichester*) specimina pauca descripsi.

Longe fertilior antiquitatum eius generis regio est Essex cum comitatibus vicinis. Atque primum Camuloduno (*Colchester*) atque ex vicinia prodierunt eius generis satis multa, quae ex parte ibi facta esse docet indoles ab reliquis fictilibus Britannicis diversa. Proposuerunt Camulodunensia, qualia servantur museum urbicum et collectio olim Pollexfenis amici (nunc iam musei Britannici cura Augusti W. Franks), quae inspexi, item collectio Actonis et museum Edinburgense (illata a Drummond Hay, cf. C. R. Smith coll. ant. 2, 1852 p. 37 ss.), A. I. Kempe (*Archaeologia* 26, 1836 p. 372), Wire (*assoc. journ.* 4, 1849 p. 83), C. R. Smith (*assoc. journ.* 2, 1847 p. 44 s., coll. ant. loco modo citato). Quaedam etiam Camulodunensia in museo Eburacensi servantur. Deinde permulta effossiones protulerunt prope Chesterford institutae a Ri-